



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Codex traditionvm Corbeiensivm

Falcke, Johann Friedrich

Lipsiae ; Gvelpherbyti, 1752

§. 376. 377. De mancipiis traditis in villis Herseti, Aliereshus, et Thiaddageshus in pagis Logne et Suilbergi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36114

Ab anno
900 vsque
916 re-
gnante
Hludo-
uico

§. 376.

Tradidit bernharduf pro filio suo uerinbaldo XXX iugera & I iurnalem in *herfiti* (x)

tradidit bernharduf pro proximo suo figardo XXX iugera et I iurnalem et II mancipia in *alieresbus* (y)

§. 377.

Tradidit adaldaguf pro filio suo maginholdo XXXX iugera et I iurnalem et III mancipia in *tbiaddagesbus* (z).

§. 378.

Tradidit uualhbertuf I familiam in *langalaua* (a) pro filio fratris sui bardonis herimanno.

§. 379.

litudine et bonis in eodem tractu reperiundis. Quæ in re genealogica mediæ æui non vana solent esse fundamenta, licet non semper ad liquidum profus perducere possint.

De villa
Herfiti
in pago
Logne.

(x) Iam pedem nostrum e pago Suilbergi referimus ad *pagum* contiguum *Logne*. In eodem erat villa *Herfiti*, nostro testante abbate Sarachone. Eadem ergo villa subest, quam supra (§. 340.) nominauimus *Harste*, locum principatus Gotingensis et quidem intra præfecturam *Harste*, cuius sedes in eo ipso vico dudum constituta fuit.

De villa
Alieres-
bus in
pago
Logne.

(y) *Alieresbus* villam fuisse in pago *Logne*, perhibet Saracho abbas. Intelligimus ergo vicum *Allersbusen*, in principatus Gotingensis præfectura *Uslar* situm.

De villa
Thiadde-
geshus
in pago
Suilbergi.

(z) *Tbiaddegibus* villa tribuitur ab abbate Sarachone *pago Suilbergi*. Ex eo manifestum fieri putamus, designari villam desolatam *Tbidexen*, olim haud procul ab vrbe Einbecka obuiam in loco, qui adhuc appellatur *der Tbidexer Anger*. Nomen adhuc ab hac villa retinet porta quædam Einbeckæ vrbis, quam nominant *das Tbidexer Thor*. Comites de Perremunt, a Widekindo M. oriundos, in hac villa bona tenuisse, e diplomatibus patet. Atque eam ob causam *Adaldagum* eiusque filium *Maginholdum* ad stirpem Widikindeam referre libet, quippe qui frater fuisse videtur *Buniconis V*, qui sita ad eandem villam, testante §. 407, bona quædam Corbeiensibus tradidit. Cum itaque inter progenitores Oldenburgicorum comitum quosdam *Adaldagos* deprehendamus, vti monuimus supra (§. 241), quos propterea ex eodem stemmate Widikindeo deduximus; probabile ex eo fieri censemus, inter progenitores Widikindi M. quosdam fuisse, eodem nomine insignitos. His libet per coniecturam annumerare *Etbeldagum*, qui, testante *Meinweri Vita* p. 539. num. 99, cum *Walberto* bona ad villam *Holthufen* sita, ecclesiæ Paderbornensi largitus est, dummodo certum sit, designari villam *Holthufon*, in pago *Huuetigo* quondam conspicuam.

De villa
Langala-
ua in
pago
Pather-
go.

(a) Præstantissimo admouemus loco, multum facienti ad indagandam veram originem serenissimorum principum, dictorum de Waldeck. Vt ergo omnia in eo abdita distincte nobis ob oculos ponamus, situm villæ *Langalaua* debemus indicare. Hanc in pago exstitisse *Pathergo*, nos abbas Saracho docet in *Registro* suo sepiissime laudato. Vnde legimus, villam nostram esse eandem, quæ hodie *Langeland* appellatur, non procul ab Erpentrup ad fluuium Embrinam sita. Eius meminit Auctor *Vite Meinweri* Tom. I. S. R. B. Leibn. p. 530, his verbis vsus: *Quædam sanctimonialis de Gesker, Oda nomine, pro remedio anime sue parentumque suorum, quicquid hereditaria proprietatis habuit in villis et marca Colfidi, Aftanbolte atque in Lanchel, vel in omni Patherga cum consensu ac petitione fratris sui iustissimi heredis Richardi cum omnibus appendiciis ecclesiæ Patherbrunnensi in pro-*